

Hieronymus solebat dicere Monachis, semper aliquid boni operis facito, ut semper diabolus te occupatum reperiat, & notat Roderic. qq. Regular. tom. 4. tit. 4. c. 25. sub num. 18., quod Sanctus Patriarca Benedictus tam prudenter divisit tempora, & horas nocturnas, atque diurnas destinatas ad diversas operationes, ita ut Monachus illas opere perficiens nullo pacto otio marcescat, sicque eliminata negligentia, & otiositate, vitia pariter exularent, ad quod faciunt dictata per Thomam à Kempis in suo opusculo lib. 1. c. 25. num. 7., quod Religiosus feruidus omnia bene portat, & capit, quæ illi jubentur, Religiosus negligens, & repidus habet tribulationem super tribulationem, & ex omni parte patitur angustiam, quia interiori consolatione caret, & exteriorem quærere prohibetur.

13 Et quia descendere ad omnes, & singulas negligentias Regularium, aut valde difficile, aut impossibile reputatur; juxta regulam datam in prima parte generali conclusione dicimus, quod Religiosus omitens ea, quæ habet in obligatione, quæ scit, & potest implere, nec habet legitimam excusationem, peccat peccato negligentia, quæ autem sint, ad quæ Regularis obligatur, vide *Lexaniam in prima parte summa, per plura capita obligationes Regularium explicantem.*

14 Et potissimum adverte, quæ idem *Lexana* notat p. 4. V. *Missanum*. 38., quod Sacerdotes negligentes in celebrandis Missis ad quatenentur, vel ex manualibus elemosinis receptis, vel ex annuis legatis, vel quacunque alia ex causa, aut titulo acceptatis, peccant mortaliter propter notabile damnum spirituale, vel temporale, quod obvenit missas petentibus, puta, vel quia defuncti pro quibus sunt celebrandæ, diutius in purgatorio detinentur ex defectu suffragiorum, vel quia viventes carent Virtute sacrificii impetratoria, & certo peccant hujusmodi negligentes peccato infidelitatis, quia non implent obligationem susceptam, & promissam, quæ multoties negligentia provenit ex incuria Prælatorum, aut eorum quibus sacrarii cura demandata est, vel quandoque, quia tot elemosinas ex anxietate avaritiæ procurant, & exigunt, ut non nisi post dilationem multam possint satisfacere.

15 Nec omittenda est *Monitio*, D. Hieronymi relati in c. *Prædixerat Hieremias de peccat. dist. 1.*, per hæc verba, *Promissio Dei Daniælem non facit negligentem, sed magis provocat ad rogandum Deum, ut quod per suam promissit clementiam per horum impleat preces, ne negligentia superbiam, & superbia pariat offensam &c.*, & in fine capituli ait (*ne securitas negligentiam, & negligentia pareret offensam*), & *glos. ibi in V. denique* addit (*quia si videt Deus homines negligentes, mutat quod prius promiserat*) quod pro Religiosis potissimum notandum est, ne ex quo se vident Vocatos ad religionem, quasi securi de sua salute, negligant magis, & magis in via Dei proficere, quia talis negligentia posset esse causa cur Deus non impleat promissam, quæ semper involunt hanc conditionem; si per te non steterit.

16 D. Bernardus in opusculo meditationum devotissimarum, alias *libra de anima cap. 5. cui titulus est, quod homo debeat se examinare*, inter cætera habet hæc (*multo melior, & laudabilior es, si te cognoscis, quam si te neglecto, cognosceres cursus hyderum, Vires barbarum, complexiones hominum, naturas animalium, & haberes omnium celestium, & terrestrium scientiam*), quæ potissimum aptantur sacris Religiosis, qui ad perfectionem tendere profitentur, qui multam diligentiam debent adhibere in sua cognitione, unde qui se ipsos negligunt, dignoscuntur à perfectione valde elongat.

17 Et idem Bernardus sermone de septem donis Sancti Spiritus, contra septem vitia exhibet remedium contra negligentiam, nempe timorem Dei per hæc verba (*qui timet Deum nihil negligit, sed veretur omnia opera sua, & iterum (ordinata procedit acie ad versus septem peccati gradus spiritus septiformis, & primus contra negligentiam timor exurgit, nimirum ipse est, quo concutitur anima, discutitur conscientia, excutitur sopor lethalis, incurritur sollicitudo)*) hæc Bernardus.

18 Non raro experientia monstratum est, quod Pater habens plures filios, & filias, si industriosos viderit, & speciosos eosdem in seculo detineat, officiis applicet, & ad negotia, ac domus conservationem destinet, si vero deformes tardos, hebetes, pigros, negligentes norit, eosdem religioni offert, & dimittit, ex quo post ea fit, ut religio hujusmodi pigris, & negligentibus defor-

deformata membris languescat, & infirmetur, contra quos declamat Hieronymus ad c. 1., *Malachia relatus in c. Sacerdotes dist. 49. in fine*, dicens (*indignum est enim dare Deo, quod dedignatur homo; Menoch. casu 226. nu. 6. de Arbitr. Jud. Tiraquell. de leg. comb. lib. 2. n. 59.*, ad quod, *Turretrem. in d. c. Sacerdotes in fine*, notat factum *Genesi c. 4. Cain, & Abel*, hic ex pinguioribus, & melioribus offerebat, & Domino placuit; ille autem de pejoribus, & ad munera Cain Dominus non respexit; ex quo tot mala subsequuta sunt, nempe Fratricidii, quod abiret profugus super terram, quod semper viveret in timore, & tremore, dicens, *omnis qui inveniet me, occidet me*; ex quo Patres familias deberent ad hæc consideratè attendere, nec Deum sub specie oblationis, illudendum existimare.

19 Non prætereunda est negligentia, nescio an ex ignorantia, an ex timiditate proveniat, dum Regulares in causis Civilibus conveniuntur coram Ordinariis, licet habeant conservatorem, electum per eos juxta eorum privilegia, & cum omnibus qualitatibus notatis à *Fagnano tom. 3. in c. si clericus à nu. 55. & seqq. de foro compet. ad Bullam Gregor. XV. & declarationem Sacre Congreg.*, tamen negligunt declinare forum, & sibi per talem negligentiam præjudicant, ut ostendit idem *Fagnanus in c. Tuorum n. 44. de Privilegiis*, ubi refert recursum Procuratoris Ordinis Carmelitarum ad Sacram Congregationem Concilii, eo quod in Regnis Hispaniarum, quidam Ordinarii locorum contenderent Religiosos intra claustra degentes, coram ipsis Ordinariis conveniri debere in causis civilibus, ad *tex. in cap. Volentes de privileg. in 6. innotam à Trid. sess. 7. cap. 14. attento potissimum cap. 20. sess. 24. Trid.*, Sacra tamen Congregatio de-

claravit, ea Jura non obstare, ideoque Regulares juxta eorum privilegia, coram suis Superioribus, vel Conservatoribus esse conveniendos, neque *cap. 20. sess. 24. Trid.* ad Regulares pertinere, neque eorum conservatorias diminuere, nec quoad primam illarum instantiam, aliquid novi inducere; quam declarationem Paulus V. per litteras in forma brevis, observari mandavit, addito Decreto irritante *sub die 24. Augusti 1607.*, tangit etiam *Barbosa ad d. cap. 20. Trid. nu. 9.*, *Sanchez. in Opuscul. lib. 6. c. 9. dub. 5.*, ubi ad objecta respondit.

20 Sicuti in casu quo Regularium Superiores negligant punire Religiosos, qui delinquant extra claustra, & capti, ab Ordinario remittuntur ad eos, ut puniant, alias punitio, ad ipsos Ordinarios devoluat; & qualiter Conventus solvat judicii expensas, & alimenta, dixi *in artic. de Negligentia Abbatum sub nu. 28.*

21 Dato quod una Religio, vel plures negligenter uti suis privilegiis; Immo permetterent sibi præjudicialia, & tacerent, non idem præjudicant alteri diligentem in eorum usu, ut in casu de privilegio concessio Regularibus, ne alij ædificent novas Ecclesias, vel Monasteria, infra 140. cannas, etiã per aerem mesurandas, quando non possent per terram, ab eorum Monasteriis, & Ecclesiis, per antea constructis; si aliqua religio negligens, fineret Religiosos alios de novo ædificare, vel recipere novum Monasterium, vel Ecclesiam, infra illud spacium, non ex eo posset inferi privilegium illud, non esse in usu, in præjudicium aliorum Religiosorum, qui in eo non fuerunt negligentes, ad allegata per *Rotam coram Eminentissimo Corrado in Januam Privilegiorum 28. Junii 1649. quæ est decis. 337. n. 24. 25.*

De Negligentia Testium.

S U M M A R I A.

1 **D**Uobus modis potest Testis, negligentia culpam incurere; primo declinando, ne testificetur, secundo testificando, sed tacendo veritatem.

2 Gravius delictum est, falsum dicere, quam veritatem tacere.

3 Declinando, ne testimonium ferat, tunc peccat, quando vel ex justitia, vel ex charitate tenetur.

4 Qui juravit dicere veritatem, & negligit eam dicere, sed tacet qualiter peccet.

5 Quam penam mereatur testis negligens.

- 6 Interrogatus de aliquo facto, quem novit, si dicat se nescire, est falsus, si taceat dicitur fraudulentus.
- 7 Negligens non est qui non respondit, quando non interrogatur legitime.
- 8 Extrajudicialiter interrogatus, tacendo veritatem, non est negligens, & si diceret se nescire, mendax est.
- 9 Interrogatus à Superiore extrajudicialiter, non ad effectum infligendi poenam, sed pro bono regimine, & ut possit dirrigere suas actiones in eligendo Ministros, Officiales, in evitanda scandala, & mala, quæ contingere possunt, tenetur veritatem sincerè aperire.
- 10 Negligens aperire veritatem Superiori, sic interroganti, majori culpa, & poena reus est, quam si negligeret Sacris Canonibus parere.
- 11 Affertur ratio per quam testis extrajudicialiter interrogatus, teneatur veritatem aperire.
- 12 Cum Superior Ecclesiasticus teneatur inquirere de vita, & moribus eligendorum ad beneficia, ad ordines &c. habet Jus interrogandi.
- 13 Testis sic interrogatus, omittens sincerè dicere veritatem, peccat mortaliter, quando interrogatur pro causa gravi.
- 14 Episcopus habet Jus inquirendi de Subditis, pro bono animarum regimine.
- 15 Parochi Diocesani interrogati ab Episcopo, qualiter se gerant Concionatores, qui ad eos mittuntur in Quadragesima, tam quoad litteraturam, seu habilitatem concionandi, quam quoad mores, tenentur veritatem sincerè aperire.
- 16 Interrogati ab Episcopo de vita, & moribus concurrentium ad beneficia, tenentur vitia etiam occulta prodere sub mortali, dummodo ea noverint extra Sacramentum confessionis.
- 17 Ita interrogati ab Examinatoribus, tenentur similiter veritatem aperire.
- 18 Episcopo visitanti, tenentur interrogati prodere vitia, & defectus Parochorum, etiam sub mortali.
- 19 Limita, si Parochus esset emendatus, vel esset spes certa emendationis proxima.
- 20 Negligens obedire edictis Inquisitorum, non denuntiando, peccat mortaliter.
- 21 Negligens denuntiare detentorem rerum, de quibus relaxantur monitoria ab Episcopo, sub excommunicatione, peccat mortaliter.
- 22 Examinantur excusationes circa prædictas obligationes.
- 23 An re elanda quæ sub secreto naturali novit.
- 24 Cum distinctione resolvitur, si agatur ad poenam, non tenetur, si ad paternam correctionem, tenetur.
- 25 Et in hoc casu, etiam si cum Juramento promisit non revelare.
- 26 Quali fundamento, Ecclesia potuit irritare matrimonia, quæ aliter Jure naturæ erant valida.
- 27 Juramentum non obligat in præjudicium veritatis, si agatur ad salutem animarum.
- 28 Idem habet locum, etiam si revelans timeat sibi malum subsequiturum.
- 29 Qui potest liberare innocentem à gravi damno, & negligit, peccat.
- 30 Tenetur revelare, etiam si non præcesserint indicia, quando non agitur ad poenam.
- 31 Revelans vitia secreta, in hoc casu non detrahit formaliter.
- 32 Testis non potest uti verbis Amphibologicis consistentibus in restrictione mentali.
- 33 Debet prudenter respondere, & certa tamquam certa, dubia verò tamquam dubia referre.
- 34 Limita in secretis Principum, & Reipublicæ, quæ nunquam sunt prodenda.
- 35 Qualiter non timendum, quod testis veritatem aperiens, publicetur in sui damnum, & ignominiam.

ARTICULUS XXXVIII.

De Negligentia Testium.



Estes alij sunt Judiciales, idest in Judio examinati, alij extrajudiciales, interrogati scilicet extra Jodium, nullo juris ordine servato, & de utroque genere vi-

dendum est, qualiter negligentia culpentur.

- 1 Testes prædicti, duplici modo possunt negligentia culpam incurrere, ad notata, per Turrecrem. in c. Episcopi si Sacerdotali nu. 6. xi. q. 3.

- xi. q. 3. Primò, quia recusant testimonium dicere, & ad hoc fugiunt, & se occultant. Secundò, quia comparent quidem vocati, sed tacent veritatem, putà respondendo interroganti verbis amphibologicis, vel obscuris, versutè, & dolosè, & ad hoc possent prætexere bonum finem, putà ne Proximo, de quo interrogantur, damnum inferant, ejusdem famæ ne detrahant, vel ne sibi præjudicent, vel damnum sibi futurum metuant, vel quia ea, quæ exquiruntur, norunt sub secreto naturali, & in his omnibus casibus quærendum est, an omittens veritatem dicere peccet, & negligentia culpetur.
- 2 Prænotandum verò est, quod gravius delictum est in utroque foro falsum positivè dicere, quam veritatem tacere ad notata per Fagnan. in c. quo circa nu. 5. de consanguin. & affn., sicuti magis vitiat obrepitio, quæ committitur narrando falsum, quam subreptio, quæ committitur tacendo veritatem, licet utrumque vitiet rescriptum, Marchesan. de commissionibus relaxandi Juramentum ad effectum agendi p. 3. §. 3. nu. 79. Utrumque tamen delictum est, & differunt solum secundum magis, & minus, his Prænotatis.
- 3 Testis qui fugit, & se absentat, ne interrogetur, & veritatem cogatur dicere, negligentia culpam incurrat, quoties, vel ex justitia, vel ex charitate tenetur testimonium ferre, ut contingit, quando potest proximo, deponendo veritatem, prodesse, & fugiendo recusat, ut notavit D. Augustinus relatus in c. Falsidicus de crim. falsi, ubi dicitur, quod Reus est, qui mendacium, & falsum dicit, ac qui veritatem tacet; non tamen potest dici, quod fugiens examen falsum dicat, ac propterea, Farinac. q. crimi. 67. nu. 234. dicit, quod testis, qui se occultat, & non vult comparere ad testimonium dicendum, non punitur de falso, sed poena de crimine Stellationatus, & hoc si agatur criminaliter, quia si ageretur civiliter, tenetur ad damna, & interesse, quando tenebatur ex justitia commutativa testificari; secus si ex sola charitate, ut diximus de obligatione restituendi, quæ oritur ex negligentia, & notat Sanchez in opusc. lib. 6. c. 5. dub. 2. & 3., & si dicatur, quod testis judicialiter interrogatus, ex legum dispositione teneatur respondere, & veritatem dicere, & consequenter ex justitia, & non tantum ex charitate; solutio in promptu est, quod tunc teneatur ex justitia legali, non verò commutativa, quæ sola obligat ad restitutionem D. Thom. 2. 2. q. 62., Justitia n. legalis, obligat solum ad obediendum Superiori ad allegata per Dianam p. 3. tract. 5. res. sol. 54. Vers. Notandum est etiam.
- 4 Testis autem, qui comparuit, & coram Judice, vel Notario, juravit dicere veritatem, quam postea tacuit, sicque neglexit juramentum implere, peccat primò peccato perjurii deinde, incurrat culpam negligentia, tacendo, quod aperire tenebatur, & puniri potest, tamquam falsus, tex. est in c. 1. in secunda parte de crim. falsi, concordat tex. in l. Præbiteri, C. de Episcopis, & Cleric., ubi Bartol., & Bald., & ferè communiter repetentes, Barbosa in dicto c. p. n. 6. de crim. falsi, ad quod plura allegat Jafson. in l. prescriptione à nu. 4., & seqq. C. Si contra Jus, vel utilitatem publ., Mascard. de prob. lib. 1. q. 5. nu. 70., & seqq., & lib. 2. q. 743. nu. 12.
- 5 Et si quæras, quam poenam mereantur testes prædicti, scilicet, & ille, qui neglexit comparere, & testificari, & qui comparuit, sed veritatem tacuit; dico quod solent in præcepto, quo vocantur testes ad examen, apponi poena, & ea servanda est; vel dicitur, quod si non comparverit, singulo die multabitur in tot &c. donec tadio affectus compareat &c. vel puniri poterit poena arbitraria, si neque in præcepto, neque Jure municipali Statuta inveniatur, neque consuetudine taxata, ad notata per Vivium opin. com. p. 3. opin. 910., Menoch. de arbitr. Judic. lib. 2. casu 310. nu. 14., Farinac. praxi q. 67. nu. 220., & 228., ubi num. 231. de teste comparente, sed veritatem tacente, quod puniatur poena falsi, quando versutè, dolosè, scilicet veritatem supprimit, & dicere negligit, & idem Farinac. q. 150. nu. 75.
- 6 Tanto magis puniendus erit Testis, qui interrogatus de aliquo facto, respondeat se nescire, dum revera sciat factum, quia tunc falsum positivè dicit Farinac. dicta q. 67. nu. 227., si verò solum veritatem taceat, dicitur testis fraudulentus à Sabyceto in l. nullum in fine nu. 2. C. de testibus.
- 7 Supponunt tamen prædicta omnia, quod